

dicatur essentialis cogitatio, in notitia sua forma s. idea amore acquiescens.

§. 2. At vero cum in definitione alicujus rei debeat fisci ejusmodi essenziale attributum, (1) quod de re omnium primo concipiatur, (2) per quod res a sibi immediate oppositis distinguatur, & (3) quod sit instar principii, unde reliqua attributa deduci queant, hæc demum Dei erit definitio, videlicet quod sit *substantia infinite activa, a se ipsa existens, ceteris vero omnibus rebus existentiam largiens.* etenim in Deo & ratio existentiae suae & ratio universi includitur.

§. 3. Inde simul intelliges, Hobbesium tam impie quam absurde statuere, quod nullam de Deo ideam & conceptum nobis formare possimus, quodque omnium optime Deus describatur per id, quod concipi nequit. Lubenter quidem confiteor, Deum adæquate concipi haut posse, ut tamen firmum sit, nos aliqualem & ad convincendum de ipsius excellentia animum nostrum sufficientem habere posse conceptum, siquidem objecti infinitas non obstet, quominus cognosci possit, sed quominus adæquate concipiatur.

CAP. II.

DE REALI DEI EXISTENTIA.

§. 1.

Quod autem ejusmodi ens, quale in præcedente capite descripsimus, quodque *Deum* vocamus, actu detur, in præsentem demonstrandum erit. Deum itaque existere evincimus.

I. ex præsentem rerum existentia sequentem in

A 3

mo